

PHILOSOPHIA MENTIS.

**N**on moramur splendida nomina, quibus ARISTOTELES, TULLIUS, SENECA aliique Logicam magnifice exornant. Eandem nos clavem scientiarum ac artem recte cogitandi & disputandi dicimus, cuius objectum sunt operationes mentis, quas ipsa dirigit, finis vero est, solida ab inanibus, vera a falsis discernere, & tenella adolescentum ingenia comparare ad sublimiores scientias, in quibus constat, vix quempiam progredi cum fructu ac dignitate posse, qui in hoc sciendi tirocinio hæsitaverit. Igitur sit

I. In terminorum catalogo præcipue consideramus & exponimus concretum, primæ & secundæ intentionis, eosque omnes, quorum per Philosophiæ aliarumque disciplinarum decursum frequentior usus reddit.

II. Terminorum affectiones sunt status, ampliatio, restrictio, diminutio, alienatio, & quæ una est ad instar omnium, suppositio \*).

\* 2

III.

---

\* ) Hic multæ lites, plures tricæ circa vocabulorum notiones, quas accumulant minutiarum Dialetticarum rabulistæ & ipso jam in Philosophiæ limine aures tironum misere obtundunt. Nunquid non multo digniora & jucundiora in amœnissimo Philosophiæ viridario occurrunt, in quibus & acui ingenia titonum & occupari majori cum fructu ac dignitate possent?

**III.** Regulæ vulgares suppositionum, oppositorum & hermeniæ subsistunt.

**IV.** Judicium est opus intellectus, non voluntatis, quidquid in idea clara & distincta  
**CARTESII** de hoc reuceat.

**V.** Judiciorum errores, errorum fontes & media eosdem corrigendi assignabit D. Defendens.

**VI.** Regula generalis syllogismorum categoricorum est, ut una præmissa contineat, altera ostendat contineri conclusionem: ad sophismata tamen & Paralogismos discernendos serviant septem Regulæ communes.

**VII.** Speciales leges pro syllogismo hypothetico, mixto, causali &c. assignamus & defendimus.

**VIII.** Methodum syllogisticam in disputando socraticæ præhabendam asserimus \*).

**IX.** Datur scientia eaque de novo acquisita, quæ non sit mera reminiscencia.

**X.**

\* ) Quanquam tam truces ac tetri non sumus, ut cultioris sæculi nostri bono gustui in omnibus refragemur, formam Socraticam subin adhibendam & ipsi censemus, præsertim in iis, ubi de definitionibus, divisionibus, neque de rebus admodum controversis agitur,

X. *Evidentia, sensus communis & intimus sunt criteria veri metaphysice certi.*

XI. *Fieri non potest, ut stante ineluctabili relatione sensuum nulla prorsus sint aut fuerint corpora: circa existentiam tamen corporum determinatorum habetur certitudo tantum physica.*

XII. *Authoritas humana in gradu supremo parit certitudinem saltem physicæ supparrem, in gradu medio moralem simpliciter, in infimo moralem qualemcumque, seu potius præsumptionem veritatis.*

### *Reflexio Critica.*

Prodit hodie LOGICA se ipsa cultior, atque ab inutilium quæstionum farragine emendata. Quare nobis omnino sorbet illud vulgus Philosophorum eruditionis incuriosum & unice peritum rixandi, qui nonnisi tricas inutiles venantur, magnumque momentum in eo ponunt, ut propositiones dictis, modis & nodis misere involvant ad terrorem adolescentum & infamiam Logicæ scholasticæ. Sane fructum alium ex immensa illa ac prope formidabili obiectiuncularum levissimarum mole non referunt boni adolescentes, nisi ut aliqua cum periculo cerebri addiscant, quorum deinceps memoria nulla redibit nisi forte ad risum, & indignationem. Discriben itaque inter solidas difficultates & meras tricas facimus, has rescindimus, illas ad acuenda ingenia reservamus.